

# IA. SADO<sup>3</sup>

LETVS EPISCOPVS CAR=

pentoractis Federico Fregosio Archiepi= scopo Salerni. S. P. D.



V O D diu ac multum optaueram,  
Federice Fregosi, ut mihi exoluto  
Reip. curis, & eis occupationibus,  
quæ me nimū diu in Romana urbe,  
apud summos Pontifices districtum  
tenuerunt, aliquando liceret in ocio  
esse, & sacrarum literarum, om-

niumq; artium optimarū studio, ac uera delectatione perfrui: id nunc demum, DE I immortalis beneficio propè singulari, uideor cōsequutus: atq; cuiusmodi diuina dona esse solent, nihil fermè habeo amplius, quod requiram. Nam quū in his locis constitutus sum, in quibus me maxime esse cōuenit, uel officij Deo præstandi gratia, uel pacis & trāquillitatis in animo retinēdæ: in ecclesia mea uidelicet, quā mihi cœlestibus nuptijs copulatam, omni à me ope ac studio curari, & cōfoucri est debitum: tum uero cætera cum mea ista uoluntate sic omnia consenserunt, ut facile apparet, non solum integrorum atq; innocentium, sed eorum etiam, qui labe aliqua peccati infecti sunt, quorum de numero ipsi sumus, pie tamen in eo spes suas collocantū, saltu & libertatē Deo esse curæ. Quāquā quod ad ipsius Dei infinitam, atq; immensam bonitatem pertinet, maior nostra esse debet, quam ut huic orationi & tēpori conue-

a z niat,

Dwrg  
Sponj,  
Eccl.